MOLY, HERMETIS HERBAM PRAECIPUIS NOSTRAE URBIS DOCTORIBUS MAGISTRIS...

Urban Gottfried Siber

Digitized by Google

SOlenne quondam primis Romanorũ fuit, ut ſpectaculorum munera exhibituri ſignum aliquod darent, eoq; populum ſpectandi avidum, iam aperiri ſcenam, iam & actores prodituros, admonerent. Hunc ego morem imitandum duco, dum in hac ampliſſima optimae civitatis ſcena, par nobile Juvenum optimorum ſiſto, non qvi furioſo impetu concurrant, cruentiſque ſeſe ictibus contaminent. aut ſangvine ac caede foedent, ſed eos edant ludos, qui innocentiam Muſarum decent. Proinde ſignum ego dabo. non quo Nero aliquis impurus aut ceteri Principes, monſtra Nominis Romani, uſi ſunt, nec vili mappa * adhortabor, quam Neronis libertus in populum proiecit, ſed illam exhibebo teſſeram, quae gravitati civium optimis legibus inſtitutorum, & moris ſanctitate praeditorum, tum mihi etiam, liberales illas, ingenuasq; literas tradenti, maxime conveniet. Neque quis tam nimii ſupercilii cenſor erit, qui vitio mihi dederit, quando ex il-

* De mappa praeter Livium, Svetonium & reliquos veteres e recentioribus primo Curius Lancillotus Ferrarienſis L. 1. non vulgaris literaturae fol. XII. et ex eo Petrus Faber libr. de Magiſtrat. Roman. p. 189. 190.

lo Vatis monumento materiam accerſendam ſtatui, quod Aſiae felix domitor pretioſisſimum animi humani opus, regia prorſus cenſura dictitavit, quodque veterum omnium recentiorumque iudicio maieſtatis ſublimitatisque, ** ac ſummae eminentiae ſuffragia tulit. Quare inſtar auguralis ſigni id a me ſuſcipiatis velim quod à Praecone Jovis communique Deorum Interprete ac internuntio Heros Ithacus ille longa ac diuturna peregrinatione circumactus, tandemque Cir-

** Ab hac admirabili praerogativa tam pleno ore laudavit Homeri Poëmata Lycurgus in oratione contra Leocratem, hinc Aeſchylus apud Plutarchum & Athenaeum, Tragoedias ſuas vocat micas epularum Homericarum. Hinc Plato conſtanter aſſerit, eum eſſe perfectisſimum Poetarum. Hinc Ariſtides III. Orat. tomo, neminem unquam melius locutum fuiſſe. Hinc Ariſtoteles in Poëtica, longe illum omnes alios poſt ſe reliquiſſe dicendi ſublimitate. Socrates in quadam epiſtola Xenophontis, Xenophon ipſe in convivio Democritus apud Dionem Chryſoſtomum, Ariſtophanes in ranis, Hierocles in Fragmentis apud Stobaeum, Hermogenes in Ideis, Philoſtratus in imaginibus Heroicis. Theocritus Idyllio XVI. Moſchus III. Plutarchus in libro de Homero; Dionyſius Halicarnaſſeus iu conſtructione nominum, Jamblichus in vita Pythagorae. Origenes libro contra Celſum VII. Thucydides in Oratione funebri ſuper Pericle, Maximus Tyrius Oratione XVI. Lucianus in Elogio Demoſthenis. Themiſtius in Orat. XVI. Theodoretus libro ſecundo de curandis Graecornm affectionibus, pluⁱimique alii uno ore idem affirmant.

Circes infamem veneficiis domum ſubiturus ſe accepiſſe tradit.

Πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης
ἐκ γαίης ἐρύσας καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν
ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοὶ χαλεπὸν δέ τ᾽ ὀρύσσειν
ἀνδράσι γε θνητοῖσι.

Ac profectò non ſine ratione cuperem, ſed votis etiam inſuper validisſimis optarem, ita de hoc inter eruditos omnia liquida & explorata eſſe, uti ſigno, rem abſtruſam & nonnullis obvolutam tenebris declaranti, convenit. At cum id aeque, ac Aegyptiorum ſecretae mentis diſciplinaeque indices, pateat, par erit, ſumto interpretis munere iſtud enarraſſe, qvo vacui eſſemus, ſi quod divini oris homo, ejusdemque conatus ſocii, ac comites in ſe receperant, conatu proſpero feciſſent. Hi vero principes Viri, tam fervido, propemodumqve coeco animo in Homeri cultum ſunt delati, ut qvae ipſe aliquando veritati figmenta circumdederat, vera illico exiſtimarent. Interim tamen neglexere ſecretos ac reconditos Vatis ſenſus, qui fictionum velamento, egregias, maximasque ad mores ſpectantes doctrinas, tegere & obvelare

ſtuduit. Nonnulli vero omnem ſtructuram, carminis tam excellentis inanem crediderunt, quos tamen, tanquam in devio itinere haerentes non ſine ratione devitamus. E primis eſt Ereſius ille Philoſophus, cui natus error, ut herbam, quam Ulyſſi datam finxerat Poeta, ipſe tamen quaſi notam ſatis conſpectamque ſuis foliis deſcriberet, & ex eo alii veluti è ſua gleba ſoloque traductam oſtenderent, floreque, foliis, caule fibris ac radice perluſtratam ceteris annumerarent herbis, quum tamen nunquam creverit, nec ab ullo mortalium unquam viſa fuerit. Quem Plinius, at quantus autor, hiſce verbis ſequitur: laudatisſima herbarum eſt Homero, quam vocari â Diis putat Moly, & inventionem ejus Mercurio aſſignat, contraque ſumma veneficia demonſtrat. Naſci eam hodie circa Pheneum ſpecie illa Homerica, radice rotunda, nigraque, magnitudine cepae, folio ſcyllae, effodi autem difficulter. Graeci autores florem ejus luteum pinxere, cum Homerus candidum ſcripſerit. Inveni e peritis herbarum medicis, qui & in Italia eam naſci diceret, afferriq; Campania vidi aliquot diebus effoſſum inter difficitates ſaxeas, radicis triginta pedes longae, ac ne ſic quidem ſolidae, ſed abruptae. Ac illo quidem

dem Plinii aſſerto, ſe Amatus Luſitanus duci paſſus eſt, teſte Henrico Spondano, explanatore Vatis haud ignobili, ſed quam infirmo praeſidio utatur, haec eius verba docent: Non deſunt aliqui herbarum inveſtigatores qui eam in agro Neapolitano naſci contendant. Audio Melchiorem Gvillandinum medicum Patavinum, virum doctisſimum, et praecipue ſtirpium hiſtoriae ſcientia hoc ſeculo clarisſimum, quam variis peregrinationibus per Europam, & mediterranei maris ad Africam trajectu ſibi comparavit, de eo pronuntiatum audio, inquam, eum penes ſe iſtud Moly Homericum habere, quod in Aegypto naſcitur, ab hominum nullo extrahi, ſed â cane ad illud alligato, quia extrahentibus lethiferum eſt; (Homerus tamen tradit eſſe tantum difficile extractu, neſcio an periculum mortis intellexerit) et revera canis, qui illud eradicaverit, ex eo interit. At, unde quaeſo haec Amatus? è Geſneri Bibliotheca. Fortasſis vero doctus ille homo certior? ipſum differentem audiatis: hoc mihi Franciſcus Stuartus Comes â Botthwell et Scotiae Admiralius, dum una Baſileae viveremus narravit, ut cui idem Gvillandinus radicem illam oſtendiſſet, quam

ille

ille inter ſua rarisſima κειμήλια poſitam ſervabat. Etſi vero contra Theophraſtum, Plinium & reliquos, aliquid moliri res pesſimi exempli fuerit, non una tamen ratione moveor, Moly illud, quod Ulysſi datum, haudquaquam herbis, ſed ceteris diviniorem explicationem requirentibus accenſendum eſſe. Ita enim clarus ille Theſſalonicenſium Praeſul, Euſtathius, non ſua modo ſed antiquisſimorum hominum auctoritate fultus, confirmatusque, tradit omnem Odyſſeae Homericae hiſtoriam magis ad formandos inſtruendosque mores, quam tradendae veritatis ergo conditam eſſe: ἠθικωτέρα δὲ τῆς Ἰλιάδος ἡ Ὀδύσσεια κατὰ τὴν παλαιὰν ἀλήθειαν, καὶ σωφροσύνη τῆς ποιήσεως τέλος ὁ κεφαλαιωδέστατος σκοπὸς, moratior enim multo eſt Iliade, Odyſſea, ſecundum iudicia antiqvisſimorum, ac commendatio prudentiae primarium illius inſtitutum eſt. Qvo accedit, gravisſimos Interpretes, gnaros, herbam illam Mercurialem, haud quaquam cum iisdem convenire, quas Plantarum auctores deſcripſerunt, ſecretiorem multo ſenſum; vel ipſa notatione vocis praeeunte, quaeſiviſſe. Ut enim antiqvum enarratorem taceam, qui a voce μωλύειν,

quod

quod idem eſt ac ἀφανίζειν τὰ φάρμακα originem eius ducit, Ptolomaeus etiam Haephcſtio ἀπὸ μᾶ καὶ ὄλλω ſive ὄλλυμι derivat, quo Didymo magna viadverſum tenet, adſerenti nimirum αὐτὸ ἑλκόμενον θάνατον ἀποφέρειν τῷ ἀποσπῶντι. Nec pigeat hoc loco Alexandri Paphii ſententiam referre, qua, priſca illa fingendi libertate uſus, tradit, Picoloum e ſocietate gigantum, dum e bello, adverſus Jovem ſuſcepto, fugeret, Circes inſulam occupaſſe, eamque inde pellere tentaſſe. Patrem vero Solem, auxilio filiae venientem, eum obtruncaſſe, et e ſangvine illius in humum defluente plantam ſurexiſſe, eamque, Μῶλυ, in memoriam pugnae, appellatam, qua allatus ille gigas interfectus eſt. Eſſe vero florem lacti ſimilem a candido ſplendore ſolis eum occidentis, radicem, nigram a nigro gigantis ſangvine, vel a pallore etiam, quem Circe conſternata induit. Quae, etſi herbam ex ingenii non terrae ſolo, fictam, non natam eſſe innuant, ipſe tamen Poetarum Princeps hanc opinionem noſtram prudenti illa deſcriptione tueri videtur, qua eandem herbam ſcla Deorum, non mortalium lingva ita appellatam tradit, Erat enim Diis proprius quidam dicendi mos,

quem tamen ita ſemper retulit Homerus, ut eum recepta Graecis lingva interpretaretur. Id cum neglexerit hoc loco, haud praeter rationem docet, Moly ſolis Diis cognitum fuiſſe. Et ut ad illuſtrandam veritatem exempla multum faciunt, Scamandri, et avis cuiusdam mentionem facit, quorum alterum Dii Xanthum, alteram Chalcida, homines vero illum Scamandrum, hanc Cymindin nominavere. Ex hoc vero numero herbam Moly ſegregat, Dii enim ſoli, (reddam Euſtathii verba) hanc plantam eo nomine deſignant, hominibus vero neque cognita, neque certo nomine inſignita eſt. Quod ubique ſibi conſtans ac praedictorum memor doctiſſimus Praeſul in Odyſſeae enarratione repetit: οὐ λέγει δὲ ὁ ποιητὴς καὶ πῶς οἱ ἄνθρωποι καλοῦσι τὸ μῶλυ, ἐπειδὴ ἄγνωςον ἐςὶν αὐτοῖς. διὸ καὶ ἄκλητον καὶ οὐ διώνυμον ὥσπερ τὰ ἄλλα τὰ ἐν τῇ ἰλιάδι κείμενα. Non refert Poeta quod nomen homines Moly imponant. quoniam incognitum ipſis eſt. Unde et nomine caret, nec binas denominationes habet, ut cetera quae in Iliade reperiuntur. Ut ut ergo ſatis conſtare arbitrer virtutem huius herbae, aliunde potius quam e medicorum libris accerſendam eſſe; volupe tamen

tamen erit, hanc ſententiam vel recentiorum, vel antiquiorum conſenſu roboraſſe. Mereturque inter omnes primo loco Dioſcorides, et Vergilius Marcellus clariſsimus illius Explanator collocari, qui ſepoſito tantiſper cultu antiquitati debito, omnia illa Theophraſti, Plinii, Galeni, Pauli Aeginetae, Oribaſii et aliorum hanc in rem allata, nugas declarare auſus eſt, *** ad quem noviſsimus pariter, ac doctiſsimus Theophraſti enarrator Joannes Bodaeus a Stapel magna animi conſtantia accedit, idem affirmans, addensque inſuper, magnum eruditorum globum eadem ſentire, quorum tamen nomina, at ſine damno reticet, qvum Euſtathii auctoritate ſatis ad credendum inducamur, plurimos Graecorum iam olim ita ſtatuiſſe. Nil ergo impedit, quo minus tandem id, quod libet afferamus, nempe Vatem omnem hanc hiſtoriam, quam de Vlyſſe in Circes inſulam et domici-

*** Vergilius Marcellus ad Dioſcoridis Anazarbei L. III c. 49. Omnia nullam habent niſi ex Homerico figmento cauſam et rationem, attamen graves Graecorum et latinorum ſcriptores, honorem Principi omnium Poetarum habentes, tanti eum fecerunt, ut Thephraſtus libr. IX. de Plantarum hiſtoria Moly deſcribens, Homero praeterquam in radice ſubſcripſerit, teſteturque in Pheneo et Cyllene Arcadiae naſci, quali Homerus cecinit radice; et poſt Theophraſtum Plinius, omnia a Theophraſto dicta Romanos docens, haec amplius tradiderit, nigro colore radicem eſſe.

micilium delato, malisque artibus perituro, niſi Deorum manu fuerit adiutus, refert, de homine ſibi relicto, nec ullis divinae opis, aut artium diſciplinarumque praeſidiis munito explicari velle. Huic enim, quum ſemel a recta via aberravit, voluptas et libido, ac ceterae illarum miniſtrae et adiutrices honeſtum mentitae vultum eodem fere modo ſeſe offerunt, quo Circen honeſtisſimae matronae frontem praetuliſſe, decoreque ſuo coeleſtes adaequaſſe deas Vates tradidit. Hae, omnes Circeas fraudes, artesque adhibent, hae pocula venenata, et oblivionem patriae inducentia praebent, non illius, quae exiguis anguſtisque terrae ſpatiis continetur, ſed verae illius, coeleſtisque, ad quam Sapiens ille Anaxagoras * digitum intendit, quamque non hebetior eodem Seneca, in coelo ſitam docuit, ** mentemque noſtram, hinc egr. ſ-

* Diog. Laert. l. II. Anaxagoras interroganti ſe, nullane tibi patriae cura eſt? mihi vero, inquit, patriae cura et quidem ſumma eſt, digitum in coelos intendens.

** Magna et generoſa res eſt humanus animus, nullos ſibi poni niſi communes et cum Deo terminos patitur. Primum humilem non accipit patriam, Epheſum, aut Alexandriam, aut ſi quod etiam num eſt frequentius incolis, latius tectis ſolum. Illi patria eſt, quodcunque ſuperne univerſa circuitu ſuo cingit. Hoc omne convexum, intra quod iacent maria cum terris, intra quod aër, humanis divina

egreſſam eodem iter deſtinare iusſit. Dum vero his periculis, inſidiisque, homo viatori ſimilis obſeſſus eſt, non minorem certe Numinis benevolentiam offendit, ea, quae Ulysſi contigiſſe dicitur. Qvantumvis enim id ſciamus fictas eſſe Deas, vatumque ingenio excogitatos Deos, quos mortalium negotiis quondam addiderunt; nec tamen diffitendum, homines Deorum vicem ſuſtinentes mitti, qui deviis errantibusque, veram illam certisſimamque herbam tradant. cujus virtute veneficia illa, voluptatesque ad Ithaci Herois inſtar, ſpernere, nec ipſi modo dolos libidinum ac fraudes proſpero felicique flexu declinare, ſed etiam alios iam tum iis occupatos, irretitosque, quin imo vinctos liberare, ruptisque ferreis compedibus eripere valeant. Eam vero herbam, non niſi doctrinam ſanctam et ſalutarem doctamque puto, omnes videlicet virtutes posſidentem quas Moly ſuo Vates, quas Theophraſtus, quas Plinius, asſignavere. Quam opinionem, ſententiae quasi loco a me dictam nemini adverſam fore credo, cum laudatus olim Praeſul, iam dudum id exiſtimaverit, dum ſecretiorem herbae ſenſum hiſce verbis denudaret: Mercurii nomine conſveto more rationem; Moly appellatione, doctrinam indicat, quaſi quae ἐκ μώλυ, ἤτοι κακοπαθείας multo labore ac difficultatibus nobis naſcitur. Huius radix nigra, ob finem doctrinarum, tectum et abſconſum, nec illico

 con-

divina ſecernens etiam conjungitur, intra quod diſpoſita tot Numina in actus ſuos cubant.

conſpiciendum, quod actiones, eius aſſequendi cauſa ſuſceptas, graviores, ac moleſtiores paulo reddit. Qvare et Iſocrates radicem illarum amaram dixit. Flos herbae candidus, propemodumque lacteus propter literarum doctrinarumque finem, ſplendidum prorſus et inſignem, propterque ſanctas illas et caſtas voluptates, quae inde procreantur. Ex quo idem ille nobis celebratus Iſocrates fructus doctrinarum, etſi non lacti ſimiles, dulcisſimos tamen ſvavisſimosque pronuntiavit.

Quod ſi tanta huius viri auctoritas non eſſet, res profecto ipſa, et felicisſimus doctrinae uſus, et experientia, optima illa rerum magiſtra, fidem rei lucraretur. Qvis etenim negare auſit, tot hominum pondera, vicina praecipitio, doctrinae vi retracta, inque via ſtabili et certa collocata eſſe? Quis diffitebitur, multos hominum, quos naturae quaedam propenſio, pronos in vitia feciſſet, erectos tamen eius ope, excelſosque factos, multos, parum memores originis divinae, doctrinarum voce excitatos, tandem ſe a Deo ortos cognoviſſe, et abhoruiſſe ea, quae tanta ſtirpe nobilitatis, minus digna videri poterant; quum ex adverſo alii neglecta doctrina ſalutari, more vitioſi illius remigii Ulysſis, optime rem deſcribente Arriano, in feras belluas mutati fuerint. Qvid affero plura? Nemo certo ita vecors erit, quin de virtute Moly, vel doctrinarum idem nobiscum ſentiat, ſimul ac noſtros Juvenes conſpexerit, quibus hanc ſalutarem ſtirpem divina ſors a tenera aetate dedit. Ad

hos

hos acceſſere non Mercurii Apollinesque, ſed qui illorum tamen vultum et animum haberent. Magiſtros innuo, quos Sneeberga, benigna ingeniorum nutrix ſcuet, appellandos mihi, niſi modeſtia innata ipſis, ſplendida laudum praeconia recuſaret, ipſique dignitatem illam vel exuiſſent, vel cum meliore commutaſſent. Neque tamen a me impetrare poſſum quin nominatim appellem Hieronymum Freytagium, Scholam hanc nobiscum una moderantem, Virum divina certe et placida, ſerenaque, quae Diivos decet, mente praeditum. Is utrumque et Jſſnum Gulielmum Janum, et filium Chriſtianum ſuae indolis, praeceptis ſanctis, eruditisque, velut herba Moly communivit, effecitque eo, ut inter indomitam alias effrenemque et in devia ruentem Juventutem moderati, tractabilesque, quaſi ad lineam in omni literarum ſpatio decurrerent, nosque, qui per annum eos reximus libenti; gaudentique animo ferrent, conſpectaque palma veluti novi quidam Olympiae victores ad metam properarent. Qvibus tanto ſtudio nitentibus divina ſors haudquaquam defuit, ſed ſecuta eſt, circum ſtetitque, et proſperos ſucceſſus dedit. Horum ut exemplo incitentur alii, in concionem eos aſcendere voluimus, quorum prior Joannis Burcardi Praetoris quondam urbis noſtrae merita, oratione in mentem revocabit. [qua quidem eruditionis oſtendendae non nimis uberem, pietatis demonſtrandae uberem occaſionem habuit] alter vero Claudii Felicis Juliani Imperatoris Auguſti vitam ſeveram, moresque caſtos, doctrinam ſummam enarrabit, remoturus una, ſi qua poterit deſertionis crimen, quo tanto, omnium fere ſeculorum ſuffragio notatus fuit. Proinde quum uterque ita ſe praeſtiterit

terit ingenio probitate facundia et iudicio, qualem fere haec ſcholarum aetas et conditio poſcit, noſtro nomine Patronos illorum, dignitate meritisque ſummopere venerandos exoramus, ut quos huc usque dignos amore ſuo iudicarunt, dignos et hoc tempore cenſeant, quorum concioni interſint, ceterisque ſimul incitamenta praebeant, quo pari, maiorique ſi fieri poſſit induſtria, diligentiaque curſum literarum perſequantur.

Sacerb. d. XII. Julii, Anno O. R. MDC, XCIX.
Prelo Pfützneriano.